



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Corollaria præcedentis doctrinæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

2. Sicut Deus potest significari metaphoricè velle A
id quod non vult, voluntate propriè acceptà, ita
potest metaphoricè significari velle id quod propriè
vult. Et in quæstionibus disputatis quæst. 23. de
voluntate Dei, art. 3. in resp. ad 6. sic habet:
Sciendum est quod voluntas signi tribus modis se
habet ad voluntatem beneplaciti: quædam enim
est voluntas signi quæ nunquam incidit in idem
cum voluntate beneplaciti, sicut permissio quæ
permittit mala fieri, cum mala fieri nunquam
velit: quædam semper in idem incidit, sicut
operatio; quædam verò quandoque incidit, &
quandoque non, sicut præceptum, prohibitio,
& consilium.

ARTICVLVS II.

An sit in Deo voluntas generalis, & ante-
cedens salvandi omnes homines, post Adæ
lapsum, subindeque Christus pro omnibus
hominibus mortuus sit?

17. **N**egat Jansenius libro 9. & 10. de gratia Chri-
sti Salvatoris, ubi docet Deum ante pecca-
tum Adæ, omnibus ac singulis hominibus æternam
voluisse conferre beatitudinem, voluntate
generali & antecedenti, ex eaque in statu
innocentiæ profluxisse in primos parentes auxilia
sufficiencia, subdita ipsorum voluntati, quantum
ad efficaciam & usum; subindeque talem volun-
tatem in eo statu fuisse perutilem: sed non posse
statui voluntatem generalem, quæ Deus omnes
homines in damnatione primi peccati positos,
velit salvos fieri, & quæ omnibus præparet reme-
dia & auxilia generalia ad salutem necessaria.
Unde ibidem asserit, voluntatem antecedentem
homines salvandi post Adæ lapsum (si quæ in
Deo sit) nihil aliud esse quàm nudam velleitatem,
qualem Deus habet erga jam damnatas
creaturas, sive homines, sive Angelos; quæ non
obstante potest Deus aliquos nolle salvos fieri,
ac reipsa non vult, eos scilicet qui reipsa damnantur,
quos idcirco ait destituisse mediis ad salutem
sufficiencibus. Eandemque ob causam docet li-
bro 3. cap. 21. Christum non esse mortuum pro
redemptione & salute æterna omnium homi-
num, sed tantum electorum: pro salute autem
aliorum, non magis sanguinem fudisse, aut
etiam orasse, quàm pro salute ipsius diaboli.
Verba ejus hæc sunt. *Christus pro infidelium
in infidelitate morientium, aut justorum non
perseverantium salute mortuus non est, nec san-
guinem fudit, nec seipsum redemptionem de-
dit, nec Patrem oravit; imò non magis pro
æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli
deprecatus est.*

Huic doctrinæ Jansenij aliquo modo favent
Gregorius Ariminensis, & Vazquez: licet enim
voluntatem generalem & antecedentem salvandi
omnes post Adæ lapsum, in Deo agnoscant, eam
tamen nolunt comprehendere parvulos in utero
materno decedentes; cum eis Deus nullum præ-
beat pro remissione peccati originalis remedium;
subindeque tenentur asserere, Christum pro illis
parvulis non esse mortuum.



§. I.

Conclusio affirmativa statuitur, & testimonio
Scripturæ, & SS. Patrum roboratur.

Dico igitur: Deum voluntate generali & an-
tecedenti, velle omnes homines, etiam
post Adæ lapsum, salvos facere.

Probatum primo ex celebri illo Apostoli testi-
monio 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes salvos
fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ubi in
primis sermonem esse de hominibus ut sunt in
statu naturæ lapsæ, patet; Tum quia Paulus lo-
quitur de hominibus prout nunc sunt, vult enim
fieri pro eis orationes & obsecrationes ad Deum:
nunc autem omnes homines sunt in statu naturæ
lapsæ. Tum etiam, quia si Apostolus loqueretur
tantum de voluntate nos salvandi in obedientia
Adæ innocentis, non dixisset, Deus vult omnes
homines salvos fieri, sed voluit salvos fieri:
ita enim in præterito exprimitur Dei voluntas,
cum præterit tempus impletionis illius: sicut
non dicimus nunc de Angelis malis, Deus vult,
sed tantum voluit illos salvos facere. Addo quod
Paulus ibidem ait, Christum ad hanc voluntatem
Dei implendam, obtulisse redemptionem
pro omnibus: Atqui redemptio supponit lapsum
in originale: Ergo loquitur de hominibus ut
sunt in statu naturæ lapsæ, & peccato originali
vitiatæ.

Secundo Apostolum non loqui de simplici velleitate
& nuda complacentia, qualem Deus habet
circa merè possibilem, manifestum est, quan-
doquidem jubet ut oremus pro omnium hominum
salute: stultum verò esset pro merè possibili-
bus, v. g. pro conversione dæmonum, vel alterius
mundi creatione orare.

Tertiò, Licet verba illa Apostoli, intellecta
de voluntate efficaci & consequente, explicari
debeant per distributionem accommodam, vel
de universalitate incompleta, qualiter ea Au-
gustinus, Gregorius, alique SS. Patres locis
infra referendis exponunt; si tamen intelligantur
de voluntate antecedenti & inefficaci, ea de-
bere intelligi de singulis generum, & per distribu-
tionem completam, constat non solum authoritate
Damaſceni, hunc locum Apostoli in hoc
sensu intelligentis, sed etiam ex ipso Apostolo;
ejus enim discursus exigit, ut propositio illa
Deus vult omnes homines salvos fieri, generaliter
& de omnibus ac singulis hominibus intel-
ligatur: nam immediatè antea obsecrat ut oretur
pro omnibus: *Hoc enim bonum est* (inquit) *&
acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes
homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veri-
tatis venire.* In quibus verbis particula univer-
salis, *omnis*, sine dubio eodem sensu in utroque
membro propositionis accipienda est, ne Paulus
loquatur æquivocè in tam brevi contextu, neve
ipsius ratio minimè idonea sit. Ita ut sicut oran-
dum est pro omnibus hominibus generaliter, &
sine exceptione (ut nemo negat esse de mente
Apostoli, & ex charitate deberi) ita Deus velit
omnes homines generaliter & sine exceptione
salvos fieri. Idque magis confirmat duplex ratio
immediatè post subjuncta ab Apostolo, quæ pro-
bat Deum velle omnes homines salvos fieri:

Unus enim Deus (inquit) *unus & mediator Dei
& hominum homo Christus Jesus, qui dedit redem-
ptionem semetipsum pro omnibus. Quæ verba
exponens Caietanus, sic ait: Ex hoc quod non*

torum respicit, non supponit in eis ullorum meritorum prævisionem; quia ante gratiam nulla sunt merita, cum ipsa sit causa & origo omnium meritorum. Unde D. Prosper 2. de vocat. gentium cap. 35. *Deus his quos elegit sine meritis, dat unde ornantur ex meritis.* De quo fusè in Tractatu de prædestinatione.

Disp. 2.
art. 1.

§. II.

Corollaria præcedentis doctrinae.

8. **E**X dictis inferes primò, quòd distinctio voluntatis Dei in antecedentem & consequentem, non accipitur ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil est prius & posterius, sed ex parte rei volitæ, quæ potest considerari vel secundùm se, & ut præcisè a circumstantiis, vel secundùm quod habet adjunctas circumstantias, cum quibus ponitur à parte rei. Ex quo
9. Inferes secundò: has duas voluntates seu volitiones, non distingui virtualiter in Deo, sed tantùm per ordinem ad objecta seu connotata materialia, eoque ferè modo, quo scientia Dei dividitur in abstractivam & intuitivam, juxta diversum modum quo attingit creaturas.
10. Inferes tertio contra Vazquez, hanc divisionem esse adæquatam. Quia Deus potest tantùm attingere res creatas secundùm duplicem illum statum: id est vel secundùm se, & præcisè circumstantiis: vel in particulari, & adjunctis iisdem circumstantiis. Unde præter voluntatem antecedentem & consequentem, non debet poni alia concomitans, quæ Deus decernat concurrere nobiscum, ut docet Vazquez; sed hæc voluntas ad consequentem & efficacem reducitur.
11. Inferes quartò: Voluntatem antecedentem esse voluntatem solùm secundùm quid: voluntatem verò consequentem esse voluntatem simpliciter. Nam ut ait D. Thomas hic art. 6. ad 1. *Quod antecedenter volumus, non volumus simpliciter, sed secundùm quid; quia voluntas comparatur ad res secundùm quòd in seipsis sunt: in seipsis autem sunt in particulari, unde simpliciter volumus aliquid, secundùm quòd volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quòd est consequenter velle.* Quod latius exponit in 1. dist. 47. quæst. 1. art. 1. ubi advertit hoc esse discrimen inter voluntatem & cognitionem speculativam, quòd cognitio speculativa perficitur in abstractione à singularibus, sed voluntas, & quidquid est ordinatum ad opus, perficitur in particulari circa quòd est operatio: ex quo infert, illud esse simpliciter & perfectè volitum, quòd subjacet voluntati secundùm omnes particulares conditiones circumstantes ipsum; illud autem quòd non est volitum secundùm omnes conditiones ipsum circumstantes, non habere rationem voliti simpliciter, sed secundùm quid.
12. Inferes quintò: Voluntatem antecedentem communem esse amori & odio. Nam sicut in bono terminante amorem, ita & in malo terminante odium, possumus distinguere rationem mali absolute, & mali consideratis omnibus circumstantiis; sicque odium in antecedens & consequens dividere. Antecedens in Deo odium est odium omnium hominum, propter peccatum Adami. Consequens verò est odium reproborum, propter illorum peccata & demerita. Ex quo
13. Inferes ultimò, prædestinatum existentem in mortali peccato, odio haberi à Deo, odio ante-

Tom. I.

Acedenti, diligi verò ab ipso amore efficaci consequenti. Nam Deus vult tali homini damnationem æternam voluntate antecedenti: Ergo illum odio habet odio antecedenti. Consequentia patet, Antecedens probatur. Hominem existentem in peccato mortali, in æternum damnari, est bonum quoddam amabile à Deo: Ergo de facto amatur ab ipso: Sed non consequenter & efficaciter, aliàs damnaretur de facto: Ergo ineffaciter & antecedenter.

Secunda pars corollarij, oppositè ratione probatur. Deus vult, voluntate consequenti, prædestinato existentem in mortali peccato, vitam æternam: Ergo illum diligit amore consequenti.

§. III.

Explicatur quid sit voluntas beneplaciti & signi.

DE voluntate beneplaciti & signi agit Magister sententiarum in 1. dist. 45. & D. Thomas ibidem quæst. 1. art. 4. & quæst. 23. de verit. art. 2. & hic art. 11. & 12. habetque fundamentum in Scriptura utraque voluntas. Nam de voluntate beneplaciti dicitur ad Roman. 11. *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Et Psal. 105. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.* Similiter in Scriptura signa quibus Deus suam voluntatem ad extra manifestat, vocantur *voluntates Dei*: Psal. 15. *Mirificavit omnes voluntates meas in eis.* Et Psal. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Oramus etiam quotidie, ut fiat voluntas Dei: id est illud quòd ejus voluntate præceptum & ordinatum est.

Voluntas ergo beneplaciti est illa quæ verè propriè & formaliter reperitur in Deo, seu actus divinæ voluntatis, quò verè & propriè vult aliquid. Voluntas verò signi, est aliqua operatio externa, seu aliquis effectus externus, quò ejus voluntas significatur, & manifestatur: unde hæc voluntas non est in Deo formaliter & propriè, sed metaphoricè tantùm & analogicè: sicut urina dicitur sana, quia significat sanitatem.

Quinque autem sunt (ut docet Sanctus Doctor hic art. 12.) signa voluntatis: scilicet operatio, permissio, præceptum, prohibitio, & consilium; quæ distinguuntur ex diverso modo declarandi voluntatem. Nam aliquando declaramus illam per nos, aliquando per alium. Per nos, vel aliquid faciendo, & sic operatio externa est signum voluntatis internæ: vel aliquid permitiendo & sinendo fieri, & sic est permissio. Per alium declaramus voluntatem nostram, quando ordinamus alium ad aliquid faciendum: ordinamus autem de alio, vel per imperium obligando, vel per consilium suadendo. Per imperium obligando, vel præcipiendo ut fiat, vel prohibendo ne fiat. Et sic sunt quinque signa manifestandi voluntatem: scilicet operatio, & permissio, præceptum, prohibitio, & consilium. Quædam versantur circa mala, ut prohibitio & permissio: quædam circa bona, ut operatio & præceptum. Quædam circa perfectè seu optima, ut consilium. Quædam referuntur ad præsens, ut operatio, & permissio: quædam verò etiam ad futurum, ut præceptum, prohibitio, & consilium.

Advertendum est etiam, quòd licet hæc duæ voluntates inter se differant, non tamen semper se mutuò excludunt, sed interdum utraque versatur circa idem objectum, diversimodè consideratum: ut enim inquit S. Thomas hic art. 12. ad

Fff iij